

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

IX.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

IX.

PIRTELONIS CHARTA TRADITIONIS MONASTE-
RIO IN SULZBERG FACTÆ.

A N N O M V I I I .

Ex autographo Tabularii Episc. Basil.

In nomine Sancte & individue Trinitatis. Notum fieri volumus in Deo omnibus fidelibus post futuris, qualiter ego PIRTELO nomine, omnem hereditariam partem, quæ me contingebat, tradidi cum manu fratris mei Gebhardi ad casam Dei, quæ est constructa in loco, qui dicitur *mons Salsuginis* in honore Sancti Ciriaci Martiris in pago *Prisfcheuue* in comitatu *ADALBERONI* Comitum ad utilitatem Sanctimonialium, ibidem Deo seruientium sub regula Sancti Benedicti Abbatis perpetualiter possidendum. Et ut uerius credatur hæc traditionis carta, eorundem prediorum nomina subnotare curauimus, id est *Rincha, Pucchinga, Wilare, Rimisinga, Ruti, Ferstete, Holcishusa*, cum omnibus appenditiis eorum. In præsentia uero multorum testium tradidi præfatum locum cum subnotatis prediis illuc pertinentibus ad æcclesiam Dei, quæ est constructa Basileæ in honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ firmiter possidendum. ea scilicet ratione, ut regularis uita perenniter stabiliretur. Ut autem eadem uita firmiter possit custodiri, Episcopus Basiliensis æcclesiæ Adalbero nomine cum consultu Regis Henrici, cæterorumque suorum Coepiscoporum nec non & suorum Canoniorum, scilicet vicedomni sui *Otine*, atque suorum militum uidelicet

Ludeuici & Managoldi, & Landperti predium, cui nomen est *Pischofigin* (a) & *Senelden* cum omnibus usualibus suo Episcopo segregavit ac tradidit ad altare prædicti monasterii ad utilitatem supra memoratæ congregationis cum manu sui advocati sine omnium mortalium contradicitione firmiter possidendum. Insuper etiam concessit illiusmodi liberum arbitrium præfatæ congregationi, ut si Abbatissa earum uitæ præsentis tempus permutaret, ipsius tam consilio atque auxilio quamcunque velint potestatem inter se ad procurandas animas eligendi habeant. Hæc autem traditio facta est sub testimonio testium, quorum nomina sunt hæc. Adalbero Com. Peretholt. Com. Ruodolf. Com. Managolt, Lantprecht, Reccho, Arnolt, Detherich, Bernhalt, Ebbo, Uuolfine, Managolt, Folemar, Lanho, Kerolt, Heretholt.

Signum Domini Adalberonis Episcopi. (locus sigilli) Leo Archi Capillanus Jussu Episcopi rescripsi.

Scripta v. Kal. April. indictione VIII. Anno V. Dom. incarnat. Mill VIII. anno V. Dom. Henrici Secundi regnant. VIII. Actum *Basilee* feliciter. Amen.

X.

(a) Hodie Bisehoffingen.

Nota. HERGOTTUS *Cod. Dipl.* num. 163. edidit, sed in chronologia aliisque locis erroneum.